34-6-E-8- 122 20

THAVMATVRGVS GALLICVS
ſiue
DE S. IVONE
PAVPERVM ADVOCATO
ORATIO
Habita in eiuſdem Templo
AD S. R. E. CARDINALES
A IOSEPHO GRISENDIO ROMANO
Sem. Rom. Cler.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA



ROMAE, Ex Typographia Reu. Cam. Apoſtolicæ. 1641.
Superiorum Permiſſu.

Digitized by Google

Excellentiſsimo Domino

D. THADDAEO BARBERINO

VRBIS PRAEFECTO

IOSEPH GRISENDIVS FEL.

PLENAM hanc IVONIANIS prodigijs Orationem offero Tibi P. Exc. ambitione planè prodigioſa: Quid enim? Hæccine digna BARBERINO PRINCIPE munera ſunt; cui ſe mortalitas tota iam pridem ſine vlla prodigentiæ ſuſpicione donauit? Sed natiuam exuet hæc pagina tenuitatem, vbi Tuas venerit in manus. Soletis enim hoc præ-

ſtare Principes, nihil vt exiguum ſit, quod veſtra dignamini maieſtate. Dexterarum Principum tactus penè diuinus eſt: Si quid humile contrectauerint, eximia ſtatim granditate ſuperbit; Si vile, antiqua protinus exuta vilitate feliciter aureſcit. Ita, ne quid illæ non aureum tractent, quod acceperint pretio deſtitutum, ſuo illud attactu pretioſum reddunt. Hanc ego fortunam Orationi ſpero meæ, dum ad Te PRINCIPEM adit. Habebit à Te quod illi pretium deeſt; Atque hoc etiam erit quod admiretur hic prodigium Roma, cum nullius planè pretij paginam redijſſe viderit ab iſta Regnatrice Dextera pretioſam. Vale.

ORA

ORATIO.

QVI ventis ex Oraculo veteri pondus facere conſueuit rerum omnium pondus Amor Deus, dum vehementis impetu ſpiritus in ſpeciem ignis è Cœlo delapſus auguſtis Apoſtolorum Capitibus nuper inſedit, eoſdem futuros exinde miraculorum opifices feliciter inaugurauit Em. PP. Prodigiorũ luculenta tempeſtas fuit Eluuies Ignea pluuiarum linguarum: Et quid inde poterit expectare mortalitas non vndequaque prodigioſum? Ignem pondere non ſuo præcipitem in terras labi, terrarum orbem innocuo flammarum incendio conflagrare, in linguas diuini Verbi facundas Interpretes diſpertitam apparere temperatiſſimam flammam Amantium æternorum, repentino vocis impetu circumſonare vniuerſitatem rerum, num prodigioſa hæc è cœlo demiſſa ſemina miraculorum non ſunt? Horum vero ſementem non adeò factam in Apoſtolico ſolo credendum eſt, vt eidem excipiendæ nullum præterea fuerit idoneum ſolum. Etenim dum in minore Britannia miracula paſſim operantem contemplor IVONEM ita ſtatuo, ſeminales diuini ſpiritus flammas, ita Virum ſanctiſſimum occupaſſe, vt inde vim ille contraxerit miraculorum effectricem. Hanc ergo mihi veniam dabitis A. A. vt patratâ frequenter ab IVONE miracula curſim oratione recenſeam, donec eundem vobis oſtendero GALLICVM THAVMATVRGVM.

Digitized by Google

Et quoniã immiſſæ de Cœlo ſpiritus diuiniſſimi faces auſpicata dederunt exordia fælicitati noſtræ, illa itidẽ orationi meæ dabit initium flãma, à quà miraculis illuſtriſſimam vitam auſpicari viſus eſt IVO. Sacra ſemel ille myſteria peragebat; cum igneus è Cœlo globus ita Sacerdotis integerrimi caput ambiuit, vt ſplendido radiorũ ſuorum diademate coronaret. An vt IVONI regnum in Elementa promitteret elementorum ille Sereniſſimus Princeps in Regium ſe ſe diadema ſinuauit? Veneror hic ego coronarias flammas, quæ in omen imperij certiſſimũ præfulgent, & IVONEM deſignant naturæ mox obſequentiſſimæ Dominatorem. Vultis illuſtre præſagium euentu feliciſſimo confirmatum? Corripuerat habilem flammis domum repentinus ignis; & iam vſque adeo latè fundebatur incendium, vt eſſet propè tota vicinia conflagratura. Nullus erat opem ferentium vicinorum labor, conatus planè nullus. Horribiles flammarum ſubinde creſcentium vortices quotquot aderant attoniti cõtemplabantur, ſed par aderat extinguendis nemo. Vnus tamen adfuit IVO, qui graſſanti contumacius incendio ſic obiecit ſe ſe, vt vno dexteræ velut interminantis Imperio flammas omnes vlla ſine cunctatione reſtinxerit. O magnum ſuperbioris naturæ Principem ne dixerim an Domitorem IVONEM! Qualem te prædicare iam poterit ignis ille diſpertitus in linguas, qui dum intumeſceret altius, venerari tunc humilius viſus eſt Imperium tuum? Abijt ille ſcilicet in coronam dexteræ triumphatricis, nec erubuit purpuratus Elementorum Reipublicæ Princeps manum tuam victricem luculento flammarum teſtimonio profiteri, vtpote cui fuerat obtemperaſſe glorioſum;

 125

rioſum. vt iam inuidere Capiti non poſſet Manus, quando huic etiam ſua è deuictis flammis corona prælucebat. Iam vero elementorum domito Principe quam facili negotio cætera ſuperauit! Suæ commiſſam curæ Prouinciam obibat IVO, vt ſuppeditatum ſibi de Cœlo diuini Verbi panem populo frangeret Paſtor enimuero Cordatus: Forte per eos dies aquarum acceſſione copioſiſſima traijciendum flumen excreuerat, ripiſque licentius exuperatis in adiectos latè campos intulerat ſe. Nullum Viatori ſanctiſſimo vadum apparebat; Extulerat enim ſeſe amnis in pontem, totumq. ſuperinductis adeo fluctibus obruerat vt ſpem tranſeundi penitus abrumperet. Age iam. hic IVONE opus eſt: IVO. cur ignium domitricem non attollis manum, de obiectis adhuc aquis haud dubiè triumphaturam? Affectant aquæ iſtæ (ſi neſcis) imperium tuum IVONIANÆ nutum dexteræ præſtolantur. Suſtulit hìc etiam miraculorum effectricē operoſiſsimam dexteram IVO, cum ſubito in obſequioſa diuortia conceſſerunt aquæ, ſiccumq. aperuerunt ad ripam aliam tranſituro vadū. Qualis eſt hic, cuius ad obſequium raro planè fædere vndę ſimul, & flammæ conſpirarunt? Nec vos adfuiſtis ad ſpectaculum Superi? Nec parem ſibi Moyſes è cœlo ſpectauit IVONEM? Hærebant hinc, atque hinc in cryſtallinos veluti parietes durati fluctus, nec ad antiqua lapſi commercia confluebāt, vel vt ſtabilem ſeruarent GALLICO THAVMATVRGO fidem, vel vt æternum promanaret ad poſteros miraculi ſemel exhibiti monumentum. Ita fluxas etiam, ac liquidas res ad obſequium ſuum ſolidare pietas nouit! Quid ſi ſparſas huc ego dixerim plena cœlitum

manu

Digitized by Google

manu margaritas, vt pretioſis IVO ſemitis aſſueſceret calcaturus olim ſtratas in cœlo ſyderibus vias? Certè præfulſit internitentium luce margaritarum via illa mirabilis, quæ diuiſo mari rubro ad littora tutiora tranſmiſit Hebræos. Etenim vbi vias aperit, ſuisq. manibus inſtruit Deus, cui manus aureæ ſunt plenæ hyacinthis, non ille poteſt non aurum ſimul, & hyacinthos effundere, quibus inſtratæ viæ præfulgeant teſtaturæ gradientibus Auctorem ſuum. At quid hìc nos diutius immoramur? Quid incauti ſubſiſtimus in aduerſo littore? Ad ſua mox commercia redibunt aquæ, nec ad vlteriora proſequi miracula licebit IVONEM. In ſyluam ergo ſecuro adhuc itinere properemus: vbi ſubnaſcentes ad IVONIS intuitum arbores explicatis recentium veluti foliorum linguis THAVMATVRGVM GALLICVM numeroſiore præconio celebrabunt. Vt ædem Auguſtæ Virginũ Imperatrici fabricaret IVO, arbores in trabes, aſſeresq. diſſecandas è cædua ſylua petierat, & impetrauerat à Britannico Principe. Sed cum liberalem Principis Domini permiſſum nimis illiberali cædẽdi licentia videretur excedere, ecce tibi finitimi ſimul, ac Populares ad Principem adeunt, IVONEM accuſant, quòd ſecuri nimis libera graſſaretur in ſyluam, eaq. ſi libertate diutius abuteretur meram prope facturus eſſet in celeberrimo quondam nemore vaſtitatẽ. Adfuit accitus à Principe THAVMATVRGVS, cumque delatorum querelis aures accommodaſſet longe patientiſsimas: Eamus, inquit, in ſyluam, iſtis erit illic oculis vſurpare, quam procul hæ diſtent à vero querelæ. Hìc autẽ num factas ab IVONE præſtigias expectatis. A. A? illuſum ne creditis oculis à

Viro

Viro ſanctiſsimo pro veris arboribus falſas excitante? At nuſquam mentiri ſanctitas didicit;& quem præpotens ad vera miracula diuinitas roborat, is auxiliari præſtigiarum ope non indiget. Squallebant omni ramorum ſe ſe latius explicantium deſtituti pompa, nullaq. ſpectabiles vireſcentium foliorum ambitione trunci. Non tamen reciſas inter arbores acciſa quidquam ſpe conſtitit IVO. cuius ad aſpectum arbores è ſingulis truncis omninò tres raro ſane prodigio pullularunt. Ite nunc, & in veſtra ſylua timete Ruſtici vaſtitatē. Cernite quanto fænore profuſam in Auguſtiſſimæ Virginis obſequia liberalitatem compenſare Pietas poſſit. Tuis vero quanta vis inerat oculis IVO, vt non Solis ritu lenta per interualla creſcētes arbores educares, ſed ad vnius oculi præpotentis intuitum enodato ſtatim illæ caudice funderentur in ramos,& comā ſubito frondium explicarent. Proh quantum habes inſtar efficacitatis illius diuiniſsimæ, cuius ad Imperium è primigenia ſterileſcentium terrarum inanitate ſyluæ olim, & nemora viruerunt! O Tuam in res omnes admirabilem poteſtatem IVO! ò vere ſæculorum omnium prædicatione celebrandū Galliæ THAVMATVRGVM! Extant adhuc in ſylua illa fortunatiſsima, quibus tu feciſti miraculo nomen, Arbores IVONIANAE. quarum frondes Zephyris perbellè flātibus agitatæ placido Te, iucundoq. murmure prædicant Opificem ſuum. Vt eas Cœleſti pabulo nutriant in rorem ſe ſe ſydera diſtillāt, quia videlicet Arbores Tuæ ſunt, non manu ſatæ regali, ſed oculorum genitæ efficacitate diuina. Iam vero è deſerta nemorum ſolitudine ad vrbium frequentiſsimam celebritatem recentiore miraculorum plauſu reuocamur. Innumerabilem Egenorum ad ſe cōuolantium turbam hoſpi-

tio

Digitized by Google

tio Vir ſanctiſsimus excipiebat, eratq. omnibus hoſpitiũ vnum ſatis, cum in immenſum Ædilis officioſiſsima charitas non tàm cordis, quàm domicilij ſpatia dilataret. Neque vero vacuos à ſe dimittere poterat, ſi quos bonorum omnium inanes exciperet, vtpote qui Authore Numine ſempiterno didicerat bonis implendos omnibus Eſurientes. Quare contigit haud ſemel, vt in ſumma durioris annonæ difficultate, inopiaq. rei frumentariæ prorſus extrema quotidianum panem, annuumq. frumentum liberalitate adeo profuſa in pauperes erogauerit, vt ſibi, quo traducere vitã poſſet, panis, frumentiq. ſupereſſet nihil. ſed nullam Charitas pati caritatẽ poteſt. cui prouentus ipſa conſueuerunt ſydera multiplicare. Quid hic admiramini confidentiam Oratoris? Subite ſi placet IVONIS ne dicam an Charitatis & beneficentiæ? domum. Intuemini affuſam Patrono Chariſsimo panegyrim Egenorum? (eâ nimirum panegyri coronari Charitas ſolet.) His ille non ſine miraculo panem impertitur: & aliquando ſeptem ſolummodo panibus Homines refecit omnino ducẽtos. O IVONIANAS manus vniuerſæ mortaliũ communitati datas è cœlo nutritias! O miraculorũ opificem dexteram! rerum omnium effectrici dexteræ parem! Huc velut ad Horreum generis humani properate mortales. nullas timere poſſunt annonæ ſtrictioris anguſtias ij, quos IVONIANA manu Charitas nutrit. Nec frumentaria IVONIS arca poterit vſpiam exhauriri, in quam frumenta ſubinde ſua deuoluunt inexhauſta granaria Diuinitatis. Infinitu hic ego ſim, ſi cuncta velim, & ſingula Charitatis IVONIANÆ miracula renarrare. Illud tamen omittere pi culum ſit, quo ſupra naturæ vires operari ſe poſſe ſingulari prodigio declarauit IVO. Morbo laborabat

rabat inſanabili non vltimo nata loco Matrona; cumque valetudinis recuperandę ſpem omnem penitus abiecisset, ſuo ſemel tecto inuitauit IVONEM, excepitq. conuiuio. Illa interim cæteris admiſta Cõuiuis nullo ſe cibo reficere, nulla cadentis naturæ facultatem reparare poterat dape. Hic ergo tacitas effuſus in preces miraculorum Patrator Humaniſsimus, mollitum aqua (ſi non lachrymis, quas è corde tenerrimo Charitas eliquauerat) panem Hoſpitæ porrigit, comedere iubet. Vix illa Cõuiuæ ſanctiſsimi fecerat imperata, cum in priſtinam ſe valetudinẽ reſtitui ſenſit, ſibiq. mox redditam nouit ſe. Ita vel ipſam nouerat IVO charitatis admirabili cõditura eſculentam facere ſanitatem. Atque hoc ille apud Hoſpitam ſuam ſtatuit ære ſane perennius grati animi monumentum. Sed qui Superos toties inuitauit ad miracula Spectatores, ipſos etiã Inferos habuit virtutis ſuæ teſtes ceteroquin inteſtabiles. Illos inquam, quos ex obſeſſorum corporum domicilio deturbatos in ima reluctantes Tartara præcipitauit. Alanum neſcio quem malus ab Inferis Dęmon occupauerat. Fingite hic vobis animo A.A. efferatam hoſpitis atrocisſimi crudelitatem. quam acerbis Hominem longe miſerrimum diuexabat modis! Quantam in obſeſſo corpore tyrannidẽ exercebat! deformato terribilis vultu, quà pallore ſquallidus, qua liuore ſuffuſus, quà rubore ſuccenſus, inflato collo, oculis prominentibus, peruerſeque ſe rotantibus ad horrorem, ſpumabat ore, ignem naribus expirabat, inquieto motu, incerto paſſu agitabatur, allidebatur, ad mortem vſque à vexatore teterrimo exercebatur Alanus. Nemo erat qui cum Humani generis tortore ferociſsimo verſari tutus poſſet. Vnus tandem repertus eſt IVO; qui generoſitate pluſquam humana roboratus Energumenũ inuitauit ad ſe. Quid iſtuc conſilij eſt

IVO?

IVO? In eam tu domum Inferos inuitas, in quam toties è cœlo Superos inclinaſti? Ita ne Paradiſi ſit Inquilinus, qui Diuini Triumuiratus edicto ineuitabili proſcriptus olim fuit Tartarorum Incola ſempiternus? O tua ſi bona noris Iuſtitiæ trāsfuga miſerabilis! Paradiſo reſtitueris dū IVONIS in domum inuitaris; quam ille Numine ſæpius ad ſe cū cælitibus euocato, ab omni prorſus parte Paradiſum fecit. Sed num communi ſolum tecto exulem à Deo voluit habere contubernalem? at lectum etiam cum illo communicauit IVO. tametſi diu cum IVONE cōmercium pati non potuit, qui nullum nouit habere cum ſanctitate conſortium. Ceſsit occupato per vim hoſpitio violentiſsimus latro, & redditus breui eſt Inferis ſuis. Scilicet acerbius illum IVONIANÆ plumæ, quam domeſticæ prunæ diſcruciabant. Erat IVONIS culcitra longe ferventior, quam candentes è ferro laminæ Tartarorum. ea contectus ſyndone vehementius torquebatur, quā eo quo flagrantiſsimo continenter obruitur Oceano flammarū. Ita nihil in tota rerum vniuerſitate reliquum fuit, quod IVONEM non ſuſpexerit rerum admirabilium Conditorem; cum illum vel ipſa prædicare coacta fuerint Tartara THAVMATVRGVM. Atque hæc ego pauca de multis habui quæ IVONIANA virtute patrata miracula recenſerem. Quæ verò iam defeſſus Orator explicare non poteſt, ea voce nunquam defectura Oratrix multo diſertiſsima prædicabit æternitas. Neque enim ijs pro meritò celebrandis eſſe ſatis poteſt eloquentia temporaria. Orandi vim illa exigunt infinitam, vtpote quæ infinitæ virtutis argumenta certiſsima ſunt. Suam igitur huc adamantinam, nedum ferream vocem Æternitas afferat, & infatigabili ſæculorum omnium elogio prædicetur

IVO GALLICVS THAVMATVRGVS.